



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

3. Vtrum accidentia, quæ dependent ab hoc loco, debeant vel possint
replicari, replica suo subiecto?
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

licet iste calor ut quinq[ue] non poneretur alibi, expellerentur tamē ibi quinq[ue] gradus frigoris, ita ut solum esset ibi frigidum ut tria; & tunc si superueniret alibi nix, in tantum posset infrigidare illud corpus, in quantum infrigidaret illud, si applicaretur hic eadem nix, ubi est ignis applicatus. Quare si nix haberet tantā virtutem, ut posita hic superaret virtutem ignis præsentis, & infrigidaret passum ad sex gradus, ibi etiam infrigidabit illud usque ad sex gradus, & tunc etiam hic manebit calidum ut duo, licet non ponatur hic omnes illi gradus frigoris alibi producti. Denique, si hic ægrotaret homo, licet illa febris non poneretur alibi, attamen ibi auferretur temperamentum sanitatis, & per consequens, quando hic moreretur, moreretur etiam ibi, hoc est, desineret esse anima in illa materia, licet non introduceretur à forma cadaueris, quæ hic introducit. Et sic de aliis casibus iudicandum est.

que ignis habeat ius ad operandum circa illud passum, & neuter possit producere totum effectum partialiter partialitate causæ; consequens erit, ut producant illum partialiter partialitate effectus, diuidendo effectum inter vtrumque locum. Quæ autem pars ponenda sit hic, quæ vero alibi, ad Deum spectabit id assignare, qui est auctor naturæ, & debet vtrique causæ prouidere. Restat dicendum de accidentibus dependentibus à loco, an debeant & ipsa replicari cum subiecto replicato; de quo sectio sequenti.

SECTIO III.

Utrum accidentia, quæ dependent ab hoc loco, debeant, vel possint replicari, replicato suo subiecto.

Communiter negatur ab omnibus Philosophis, corpus existens in duplici loco habere vtroque eandem præsentiam localem, vel alios modos, qui essentialiter respiciunt hoc spatium, vel includunt præsentiam localem, qualis est situs, extensio partium, figura situalis, &c. quia hoc ubi essentialiter affigitur huic spatio; ergo non potest moueri ab hoc spatio, nec in alio loco collocari. Quare Christus Dominus licet habeat in Eucharistia accidentia, quæ habet in cælo, imo & figuram organicam, ut videbimus infra, non tamen habet præsentiam localem, quam habet in cælo, nec alia accidentia, quæ dependent essentialiter à loco.

Aliqui tamen Recentiores Philosophi contendunt, quod de potentia absoluta possit vbicatio Petri, quæ est Romæ, poni eadem alibi, non ita ut non maneat Romæ, hoc enim est impossibile, nam effectus formalis illius vbicationis, est, constituere Petrum præsentem Romæ; quare non potest esse illa vbicatio in Petro, quin det illi hunc effectum formalem; sed tamen dicunt, posse eandem vbicationem replicari alibi cum eodem Petro alibi existente, & tunc eam vbicationem Romanam esse in illo alio loco non per se ipsam, sed per aliam vbicationem superadditam, quæ reddat præsentem illam vbicationem in illo alio loco; in hoc enim nulla apparet contradictio in ordine ad potentiam Dei absolutam. Addunt alij ex suppositione prioris miraculi, quo Petrus ponitur in duplici loco, debere fieri hoc secundum, imo non posse aliter fieri, quin vbicatio Romana ponatur in illo alio loco; quia nō potest intelligi, Petrum esse ibi, & non esse ibi quæ sunt vnita cum Petro. Supponunt enim accidentia non habere aliud ubi intrinsecum, sed omnia esse hic per ubi subiecti; nam albedinem esse hic, non est aliud, quam esse in subiecto, quod est hic. Sicut ergo repugnat, quod Petrus sit Neapoli, & non sit ibi albedo, quæ est in Petro; sic repugnat, quod sit ibi vbicatio Romana, quæ est in eodem Petro.

Hæc sententia nimis singularis est, & contra communem sensum omnium, qui semper in hac questione excipiunt eiusmodi accidentia, ne replicentur, replicato subiecto. Et in primis, si dicatur, ubi Romanum debere accipere aliud ubi superadditum ad hoc, ut ponatur Neapoli; tunc non potest dici, quod ex suppositione prioris miraculi, quoties Petrus ponitur in duobus locis, debeat in vtroque loco poni vtrique vbicatio; ex hoc enim sequeretur processus in infinitum. Nam si vbicatio Romana Petri, quia est in Petro, debet poni Neapoli per aliam vbicationem superadditam; ergo hæc ipsa vbicatio superaddita vbicationis Romanæ debet replicari Romæ per aliam vbicationem

X 2 super

55. Ratio horum omnium sumitur ex supradictis; quia licet Deus non duplicaret præsentiam formæ, vel mutationis hic productæ; non tamen augetur virtutem subiecti ad habendum simul duas formas contrarias; ergo cum tota repugnantia duarum formarum non sit in ordine ad eundem locum, sed in ordine ad idem subiectum, consequens est, ut, nisi Deus aliud ordinaret, subiectum quod hic est summe calidum, non posset esse alibi summe frigidum.

56. Confirmatur ad hominem contra Suarez, qui ubi supra sect. 6. negat, eundem hominem posse in vno loco assentire, & alibi simul dissentire eidem obiecto, quia illi duo actus repugnant de potentia absoluta, non quidem ratione loci, sed ratione subiecti, in quo sunt; ergo similiter calor, & frigus in diuersis locis repugnabunt naturaliter in eodem subiecto; quia repugnantia frigoris, & caloris non est in ordine ad locum, sed in ordine ad subiectum.

57. Dices, si lignum sit vtroque frigidum, & in vno loco calefiat ut tria ab aliquo igne, tunc sane hic amitteret tres gradus frigoris, non tamen haberet illos tres gradus caloris, quos habet ibi, quia Deus non vult illos hic collocare. Rursus, applicatur hic aliquis ignis, qui posset illud calefacere ut tria; inquit, haberetne hic ex vi illius secundi ignis aliquos tres gradus caloris?

Nonnulli respondent negatiue; quia cum inueniat iam subiectum absolute calidum ut tria, & simile non agat in simile, non poterit dare illi subiecto illum gradum caloris, quem iam subiectum vere habet, licet non habeat illum in hoc loco. Sed contra; quia si vterque ignis applicaretur in eodem loco, vere illud passum haberet maiorem calorem, quam ab vnoquoque solo; ergo etiam si applicentur in diuersis locis, debent producere in passu plus caloris, quam vnusquisque solus produceret. Item si, agente priori igne, superueniret secundus, tunc protul dubio effectus productus à primo conseruaretur ab vtroque; nam secundus ignis habet virtutem ad conseruandum illum effectum; ergo etiam si superueniat in alio loco, operabitur illum effectum saltem partialiter: causa enim applicata passum cum sufficienti virtute, non potest esse otiosa; nec est maior ratio, cur agat ille ignis, quam iste.

58. Respondeo ergo, ab hoc secundo igne & primo applicatis in diuersis locis eidem passu produci in passu illos gradus caloris, quos produceret vterque ignis, si simul in eodem loco applicaretur. Quia tamen Deus non vult, eundem gradum caloris producti esse in vtroque loco, ita debet effectus diuidi, ut dimidia pars caloris sit alibi conseruata ab igne ibi applicato, & alia dimidia sit hic conseruata ab igne hic applicato. Cum enim vter-

P. Ioan. de Lugo de Sacramentis.

59. Conclusio communis.

60. Contendunt tamen aliqui vbicationes posse replicari.

Addunt alij.

61. Hæc sententia reuocatur.

Arguitur inde processus in infinitum.

superadditam; quia cum sit Romæ illa prima vbicatio, quæ Neapoli habet secundam vbicationem, debet illam Romæ etiam habere, sicut ipse Petrus Romæ habere debet per te vbicationem, quam habet Neapoli. Si autem illa vbicatio Neapolitana vbicationis Romæ debet poni Romæ per aliam vbicationem, de hac ipsa redit idem argumentum, quia hæc etiam debet poni Neapoli per aliam vbicationem, & hæc poni debet Romæ per aliam; & sic in infinitum, vel negandum erit debitum ponendi Neapoli cum Petro vbicationem, quam Petrus habet Romæ.

62.

*Reijctur
deinde ex eo
quod aliqui
supponant ali-
quid posse esse
in loco per so-
lam denomi-
nationem ex-
trinsecam.*

Minus autem probari debet, quod illi alij dicebant, non posse etiam diuinitus poni Neapoli Petrum, qui existit Romæ, absque eo quod ponatur Neapoli vbicatio, quam habet Romæ; eo quod accidentia non sint in loco, nisi per vbicationem subiecti, & per denominationem extrinsecam ab illo: hoc, inquam, displicet; primo, quia supponit principium minus verum, quod scilicet aliquid possit esse in hoc spatio per solam denominationem extrinsecam ab alia re hic vbicata: impossibile enim est, aliquid localiter moueri, & non moueri intrinsece, atque ideo quin intrinsece se habeat aliter ac antea, ut dicemus inferius *sect. 4. & 7.* Deinde, licet id de aliis accidentibus concederetur, non deberet tamen concedi de ipsa vbicatione, quæ quidem cum sit ipsamet præsentia subiecti, non potest esse præsens per denominationem extrinsecam à subiecto suo vbicato, sed se ipsa est præsens illi spatio, quod per suam essentiam respicit. Et licet subiectum possit alibi collocari, quia de se est indifferens ad hoc, & illud spatium; ipsa tamen vbicatio, quæ de se est determinata ad hoc spatium, non est, cur habeat illam indifferentiam ad accipiendas illas denominationes ab vbicatione subiecti, sicut alia accidentia, quæ propter suam indifferentiam exigunt aliquam vbicationem suam, vel sui subiecti, à qua determinentur ad hoc spatium magis quam illud.

63.

*Probat de-
inde ex ipso
effectu for-
mali vbica-
tionis.*

Denique, quod non solum non debeat, sed nec possit vbicatio quam Romæ habet Petrus, poni Neapoli cum eodem Petro ibi replicato; probari potest ex conceptu, & essentia ipsius vbicationis. Si enim Petrus Neapoli habet vbicationem Romanam, ibi etiam habebit eius effectum formalem, cum non possit esse eadem forma in eodem subiecto, quin resuletur idem effectus formalis: ergo Petrus Neapoli est Romæ, seu in illo spatio est in isto: nam esse in hoc spatio, non est aliud, nisi habere talem formam, seu talem vbicationem sibi inhærentem, quod totum ibi habet in supposito. Loquitur autem non de spatio, seu loco reali Romæ; nam esse Romæ includit denominationem partim extrinsecam, quæ non potest esse Neapoli; sed loquitur de præsentia ad spatium imaginarium Romæ, quæ est denominatio intrinseca proueniens adæquate ab hac vbicatione intrinseca.

64.

*Dicunt non
esse inconueniens
exem-
plo vbica-
tionis indistin-
guibili Angeli.*

Dicunt, non esse inconueniens, si totum id concedatur; imo concedendum à nobis esse in sententia communi, quæ dat Angelo vbicationem aliquam saltem possibilem, quæ cum in se sit simplex, & indiuisibilis, faciat Angelum præsentem spatio diuisibili huius gymnasij, v. g. Nam illa vbicatio, cum non habeat partes, necesse est, quod tota sit in toto, & tota in qualibet parte huius spatij. Loquitur de Angelo præsentem per illam vbicationem huic angulo A, nonne verum erit, quod in hoc angulo A. Angelus est præsens angulo B, & omnibus aliis? Habet enim in hoc angulo vbicationem, quæ facit illum præsentem aliis angulis; ergo in hoc habet esse præsentem aliis; ergo in hoc est in aliis: quid ergo mi-

rum, quod sicut Angelus de facto id habet, posset etiam habere Petrus in casu miraculoso, quod Neapoli haberet præsentiam Romanam, & existens ibi haberet esse præsentem Romæ per vbicationem, quam ibi haberet? Quod clarius confirmari potest in Deo, cuius vbicatio intrinseca, seu immensitas simplicissima est, & indiuisibilis: quare sicut hic habet totam suam immensitatem; sic habet hic realiter loquendo totum eius effectum formalem intrinsecum; non enim potest habere alibi aliquem effectum formalem intrinsecum, quem hic non habeat, ut constat: ergo hic habet Deus esse vbique, & per consequens hic habet esse in spatio imaginario cæli, & aliis omnibus. Similiter ergo si Petrus habeat Neapoli eandem vbicationem intrinsecam, per quam est in hoc spatio, habebit ibi eundem effectum formalem intrinsecum, & poterit absque inconuenienti dici, quod ibi habeat esse hic.

Sed quidquid sit de exemplis Dei, & Angeli, ad quæ postea respondebimus; non videtur posse absque absurdo concedi, quod Petrus Neapoli sit Romæ. Quod probare possumus ab exemplo non dissimili durationis creatæ. Nam sicut vbicatio respicit tale spatium imaginarium locale; sic duratio respicit tale spatium imaginarium successuum temporale; & sicut vbicatio nostra est accidens superadditum diuisibile, & extensum pro diuisibilitate spatij, sic duratio creatæ est accidens superadditum successuum, & diuisibile pro diuisibilitate, & successione spatij imaginarij, ut suppono alibi probandum, & nobiscum admittunt etiam illi Recentiores. Quo supposito, argui potest in hunc modum: si enim hæc vbicatio Romana potest saltem diuinitus constitui Neapoli, ergo poterit etiam saltem diuinitus duratio, qua Petrus durat hodie, reproduci etiam cras; ita ut Petrus habeat cras suam durationem crastinam, & rursus habeat etiam cras illum modum durationis, per quem durauit hodie: nam sicut vbicatio Romana, licet sit alligata huic spatio, potest diuinitus poni in alio per aliam vbicationem superadditam, à qua potest denominari esse ibi: sic duratio hodierna, licet sit alligata huic spatio temporali, poterit diuinitus replicari in spatio crastino per aliam durationem superadditam, à qua denominetur duratio hodierna esse cras, non per suammet entitatem, sicut erat hodie, sed per formam accidentalem superadditam. Consequens autem est manifeste absurdum; ergo & illud aliud, de vbicatione absurdum erit.

Dices, esse discrimen inter durationem, & vbicatioem, quia quando Petrus replicatur, & ponitur in duobus locis, existit actu utraque vbicatio in Petro, & ideo propter vnionem realem, quam habet cum illo, necesse est, quod utraque sit in Petro, vbicumque est Petrus; at vero duratio hesternæ non est hodie actu à parte rei, sed fuit in Petro, & habuit vnionem cum illo, non habet actu, unde non est necesse, quod ponatur, quandocumque est Petrus; quia vnio præterita non habet eam vim, sed solum vnio præsens, & actu existens.

Sed contra; quia imprimis iam vidimus, *vbi* Romanum, si ponatur alibi cum Petro, debere poni per aliam vbicationem superadditam sibi, nec posse esse de nouo ibi per solam vbicationem Petri, nisi ipsum etiam *vbi* Romanum intrinsece mutetur: unde non est necessitas omnimoda, sed possibilitas, ut *vbi* Romanum possit per aliud *vbi* superadditum esse alibi; quod si id possibile sit in *vbi*, non apparet, cur licet non sit necessarium, aut debitum in duratione, quod duratio Petri hesternæ sit

fit etiam hodie cum eodem Petro, non sit saltem possibile, quod illa duratio sit per aliam durationem superadditam in alio spatio temporali, sicut *ubi* potest esse per aliud *ubi* in alio spatio locali.

68. Deinde, esto id in duratione sit impossibile, ex eo tamen impossibili arguere possumus ad casum nostrum; quia si duratio hesternæ esset hodie in Petro, vere Petrus hodie duraret heri, ut probatum est, quod tamen esset absurdum; ergo si *ubi* Romanum Petri ponatur Neapoli, eodem modo Petrus Neapoli erit Romæ, propter eandem rationem. Non est autem minus absurdum, quod Neapoli sit Romæ, quam quod hodie sit heri: hoc enim secundum ideo est absurdum, quia duratio hesternæ est alligata ad talem durationem imaginariam, sed non minus est alligatum *ubi* Romanum ad hoc spatium imaginarium, nec potest ostendi, cur maiorem alligationem habeat duratio quam *ubi* ad suum spatium; ergo si ex illo primo sequeretur absurdum, sequi etiam debet ex hoc secundo.

69. Porro absurdum magnum fore, si Petrus hodie haberet durationem hesternam, per quam hodie etiam duraret heri, probari potest, quia si hoc esset, sequeretur Petrum vna die potuisse vivere centum annis: si enim prius vixisset centum annis, postea mortuus esset, & diuinitus rediret ad vitam per vnam diem, in qua tamen Deus simul reprodixit in eo durationes, quas habuit per centum annos, possemus vere affirmare, ipsum post resurrectionem vixisset, & durasse centum annis: habuit enim durationes omnes præteritas, à quibus solis provenit ille effectus formalis, ut suppono, non à tempore reali extrinseco; nam nullo existente tempore reali, extrinseco, adhuc homo posset breuem, vel longam vitam habere; longitudo ergo vitæ est effectus formalis proveniens solum à tot durationibus intrinsecis: si ergo omnes illæ iterum essent in Petro post resurrectionem, sequitur, eum iterum habere longam vitam, nempe centum annorum, quod tamen aperte constat esse absurdum.

70. Vergeti potest in peccato, quod duravit heri per horam, & postea retractatum fuit, atque dimissum; ponamus, quod hodie possit homo idem peccatum reproducere, & eandem etiam durationem hesternam peccati, reproducere in vnicuique instanti hodierno & peccatum, & durationem hesternam; dicitur nec hoc peccatum hodie durasse vna hora, atque adeo non solum imputandum tanquam peccatum vnus instantis, sed tanquam peccatum vnus horæ? Nemo id concedet; esset tamen concedendum, si in illo instanti habuit durationem totam hesternam vnus horæ; quia, posita forma adæquata, ut vidimus, non potest non poni totus effectus formalis ipsius. Nec potest excogitari aliqua conditio intrinseca requisita, quæ desit ad illum effectum formalem, cum adsit idem subiectum, eadem forma, & eadem vnio, & omnia intrinseca eadem omnino sicut heri.

71. Ex quibus deduci potest ratio à priori illius repugnantie, quia nimirum non potest multiplicari seu reiterari forma, quin multiplicetur, vel reiteretur effectus formalis; effectus autem formalis durationis hesternæ est durare heri, ut constat; ergo non potest reproduci illa forma, & multiplicari quoad existentiam, quin multiplicetur eius effectus formalis: hic autem non multiplicatur, licet duratio Petri hesternæ reproducatur hodie: non enim ideo Petrus magis duravit heri, neque ideo durat bis heri: duravit quidem heri semel, & hodie iterum durat; sed non potest dici, quod duravit bis heri; nam iste effectus formalis repetitus non competit

P. Ioan. de Lugo de Sacramentis.

Petro heri, sed hodie; ergo non magis duravit heri, alioquin per reproductionem illius durationis fieret effectus formalis de præterito, quod scilicet heri magis, vel bis durasset; item per reproductionem peccati cum duratione hesternæ fieret nunc, quod hoc peccatum heri gravius fuisset, quæ sunt manifeste impossibilia; ergo non crescit, vel multiplicatur effectus formalis proprius illius formæ: nam effectus formalis durationis hesternæ non est durare hodie, sed heri; ergo est durare die præterita; ergo durasse: qui certe effectus non potest formaliter augeri à forma nunc reproducta, quia ut sic non potest dare durasse heri, sed durare hodie de præsentis; repugnat ergo reproduci illam formam, quia eius effectus formalis non potest reproduci.

Confirmatur, & explicatur iterum, quia peccatum hesternum hodie libere reproductum, licet non sit physice distinctum, moraliter reputatur aliud, & imputabitur perinde ac si homo commisisset duo peccata distincta: ergo similiter duratio hesternæ hodie reproducta, licet non sit physice distincta, erit tamen moraliter alia, & reputabitur ac si esset alia; quare Petrus, qui hodie præter durationem suam hodiernam acciperet iterum durationem hesternam, plus acciperet moraliter, quam si solum durasset heri, & postea duraret hodie. Quarto igitur id, quod plus accipit, siquidem est donum, est perfectio, est duratio, quid sit, vel quid conferat? an pro hac die solum, an pro hesternæ? Pro hac solum non potest, quia essentia eius durationis est facere Petrum durantem heri, ergo perficit pro die hesternæ. Aliunde tamen id repugnat; quia ex eo, quod hodie reproductur illa duratio, non dicitur melius, aut magis heri durasse; nullo ergo modo potest redire illa eadem perfectio, quæ essentialiter habet non perficere, nisi ante diem hodiernam propter contradictionem, quæ ex contratio dicendi modo sequeretur.

Totum hoc argumentum, quod de duratione factum est, potest facile ad *ubi* applicari: si enim *ubi* Romanum Petri ponatur Neapoli, ibi Petrus erit Romæ, atque ideo verum etiam erit, quod Petrus in hoc palmo est in omnibus ciuitatibus Italiæ, si replicatus in illis, hic habet omnes illas vbicationes. Unde verum etiam erit, quod corpus Christi in exigua particula hostiæ occupat spatium magnum, quia ibi habebit vbicationem, quam habet in cælo, ac per consequens ibi habet totum effectum formalem illius vbicationis, qui est esse præsentem tali, & tanto spatio magnitudinis humanæ. Verum item esset, corpus Christi in Eucharistia coextensum esse spatio, quia ibi habet vbicationem celestem, à qua sola provenit, quod sit in actu secundo coextensum spatio illi imaginario, quod replet in cælo: quæ tamen omnia videntur manifeste absurda, & contra omnium sensum. Fatendum ergo videtur, sicut duratio creata est essentialiter successiva, se ipsa fundat relationem distantie ab aliis partibus durationis, sic *ubi* diuisibile esse essentialiter quasi successivum in ordine ad spatium, ita ut vna pars essentialiter sit post aliam in spatio, & non possint duæ esse simul, sed singulæ seipsis fundent relationem distantie ab aliis omnibus partibus, atque adeo non possit etiam diuinitus vna esse ibi, *ubi* est alia.

Nunc ad argumentum, & exemplum, quod afferebatur de vbicatione Angeli; quæ cum simplex, & indiuisibilis sit, eadem est in vtroque angulo, atque ideo in hoc angulo facit Angelum esse in illo alio; quod idem vrgebatur in Deo, cuius immensitas cum sit indiuisibilis, tota est hic, atque adeo hic dat Deo totum effectum formalem, & hic facit

X 3 eum

72. Confirmatur & explicatur iterum.

73. Totum hoc argumentum de duratione facile ad *ubi* applicatur.

74. Nunc respondetur ad argumentum & exemplum de *ubi* Angeli.

cum esse ubique. Ad hoc, inquam, respondere in primis possumus retorquendo, nam hoc argumentum non solum probat de *ubi*, sed etiam de duratione. Deus enim non solum habet vicationem intrinsecam indivisibilem, sed etiam durationem; quare sicut hic habet totam suam vicationem, seu immensitatem intrinsecam, sic nunc habet totam suam durationem, seu aeternitatem intrinsecam, atque adeo sicut hic est ubique, sic nunc est aeternus, & habet durare in aeternum. Ergo sicut ex immensitate Dei indivisibili colligi volunt, quod possit Petrus habere Romae illud idem *ubi* replicatum, per quod est Neapoli: sic ex duratione Dei, qua Deus nunc durat per totam aeternitatem, colligi posset, quod possit homo nunc habere iterum reproductam durationem, qua duravit anno praeterito, atque adeo, quod nunc Petrus daret per totum annum praeteritum, quod tamen vidimus esse manifestum absurdum.

75.
Discrimen
assignatur.

Ad exempla ergo debemus respondere: sicut est discrimen inter durationem Dei indivisibilem, & nostram divisibilem; sic esse discrimen inter vicationem Dei, vel Angeli indivisibilem, & nostram divisibilem. Deus quidem, quia habet durationem indivisibilem, habet illam totam simul; aeternitas enim est professio totius vitae, & durationis simul: quare simul dat totum suum effectum formalem, & simul Deus durat per totam aeternitatem; alioquin perficeretur successus, si non durat nunc per totam suam durationem; non est ergo inconueniens, quod Deus una die viuat vita mille annorum, imo totius aeternitatis; quia in Deo idem protus est durare nunc, & durare per infinitos annos, vt latius videbimus agentes de aeternitate Dei. In nobis tamen non est idem viuere hodie, & viuere per centum annos; quia successus perficimur, & quia hodie non possumus habere hoc, quod est vixisse anno praecedenti, nisi denominatiue, vt supra probatum est. Similiter ergo de vicatione dicendum est, vicationem indivisibilem Angeli, & vicationem Dei, quae sunt intrinsece indivisibiles, totas esse in qualibet parte spatij, atque adeo in qualibet parte spatij dare totum suum effectum formalem; quare Deus hic est immensus, hic est ubique, quia hic habet quicquid perfectionis habet. At vero *ubi* Petri Romae, cum sit distinctum ab *ubi* Neapolitano, non dat Petro, nisi effectum formalem limitatum, scilicet esse Romae: sic etiam *ubi* corporis Christi in Eucharistia, cum sit distinctum ab *ubi*, quod habet in caelo; non dat nisi suum effectum formalem ponendi corpus illud absque extensione, & ideo non potest dici, quod corpus Christi ibi habeat extensionem, quod tamen dici posset si ibi haberet vicationem, quam habet in caelo, à qua tamquam à forma adaequata habet effectum formalem extensionis actualis, vt dictum est. Non est ergo, cur discedamus à communi sensu Philosophorum, & Theologorum, qui supponunt, replicato corpore in duobus locis, non debere, imo nec posse poni in utroque loco praesentiam localem, quam habet in vino, & ideo corpus Christi non habere in Eucharistia praesentiam localem, quam habet in caelo, neque in caelo, quam habet in Eucharistia, neque in hostia praesentiam, quam habet in calice, vel in aliis hostiis; quia illae omnes praesentiae sunt alligatae essentialiter singulis suis spatiis determinatis.

Non est ergo
discedendum
à communi
sensu Philo-
sophorum.

76.
Quaestum.
Satisfit.

Petes, utrum in his accidentibus dependentibus à loco computentur actus sensuum exteriorum, vt visio obiecti praesentis, & species impressa illius obiecti, &c. Respondeo negative: nam ista accidentia, licet dependant ab obiecto praesenti in genere

causae efficientis; non tamen habent essentialem dependentiam ab hoc loco; quare sicut calor, productus hic ab hoc igne, potest poni alibi, ubi non est hic ignis, vt diximus, quid ni species producta ab hoc obiecto possit poni alibi, ubi non est hoc obiectum? Quare Theologi communiter concedunt Christum Dominum in Eucharistia habere actus, & species, quas habet in caelo, vt docet Suarez *disput. 5. sect. 2. in fine*. Nunc iam videamus, quid, & qualis sit haec praesentia corporis Christi in Eucharistia; prius tamen oportet aliqua praemittere de praesentia locali in viuente, sine quibus non possunt intelligi, quae de hac praesentia dicenda sunt.

SECTIO IV.

Praemittuntur aliqua communia de loco, & praesentia locali.

Suppono primo, duplicem esse locum; primus est locus realis, quem 4. *Physic. cap. 4.* definit Aristoteles illis verbis: *Locus est superficies corporis continens immobilis*; ubi nomine loci, omisiss aliis explanationibus, videtur intelligi superficies realis corporis circumdantis; non tamen secundum se solum, sed prout immobilis, hoc est, prout affixa tali spatio imaginario per talem vicationem intrinsecam, quam habet, vt sic enim est immobilis. Locus itaque piscis, v. g. est superficies aquae ipsum circumdantis; non sola, quia si piscis simul cum aqua moueatur, non manet in eodem loco, & tamen continetur ab eadem superficie aquae: quia nimirum locus erat complexum ex illa superficie, & tali vicatione ipsius aquae: sic etiam è contra quiescente pisce, si aqua fluat, vere non manet piscis in eodem loco reali, licet maneat in eodem spatio imaginario.

Contra hanc loci realis explicationem obiici solet, primo, quia in praedicto casu piscis non mouetur localiter; ergo non mutat locum, licet aqua fluat, & successus variatur superficies realis continens piscem. Responderetur loquendo de re ipsa, & de loco reali, quoad totam entitatem, quam dicit, negari non posse, piscem, adhuc cum quiescit, deperdere priorem locum realem, & acquirere alium, quia prior locus solum dicebat talem superficiem aquae cum tali *ubi* ipsius aquae: utrumque autem deperditur; quia, fluente illa parte aquae, corrumpitur illud *ubi*, quod habebat ibi. Ceterum formaliter loquendo, non dicitur piscis acquirere nouum locum; quia successit aliud corpus cum circumdans cum simili omnino praesentia locali, quae licet differat numero à praesentia locali praecedentis aquae, tota haec differentia provenit ex parte subiecti, in quo est, non vero ex parte spatij, quod respicit, cum sit omnino idem, atque ideo vulgariter dicitur, aquam, quae de nouo succedit, habere eandem praesentiam localem, quam habebat aqua praecedens, quia praesens est eidem spatio; ex quo fit, vt dicatur piscis retinere eundem locum, quia locus in ratione loci constituitur formaliter per praesentiam localem. Sed reuera totum hoc pertinet ad modum loquendi.

Obiicitur secundo: locus non est in alio loco, vt ait Aristoteles *cap. 2. text. 20.* sed superficies corporis extrinseci rem ambientis est etiam in loco; ergo ipsa non est locus. Respondeo, superficiem illam proprie non esse in loco; quia cum non sit nisi vnita aliis partibus, non continetur à superficie alterius corporis; ad rationem autem loci requiritur, quod non vnatur intrinsece cum re locata, sed